

A sensibus enim prima rerum cognitio, vel ipso Aristotele teste, desumenda venit. Hanc in Cometarum generationibus, eius subtilibus argumentis satis euidenter refragari, si certæ adhibeantur Observationes, illæque Geometricè debito modo expendantur, certissimum euadet. Quia verò & ego non saltem horum, quos Mœstlinus profert, sed aliorum etiam placita, qui Cometam hunc Elementarem fuisse opinati sunt, expendere, & quatenus cum ipsâ Veritate nullatenus consentiant, palàm ostendere decreui, nolo hoc loco diutiùs his exaggerandis immorari. Vnum saltem addam, velut etiam priùs asserui, videlicet, quòd Mœstlinus quosdam Cometas existimarit Elementares, quosdam verò Æthereos, id mihi videatur potius aliorum Authoritati, & præsertim Regiomontani atque Vogelini Observationibus (quas ego minùs certas fuisse iudico, & suo loco id ita esse fidem faciam) tribuere, quàm ipsi coelitus deductæ Experientiæ. Ego materiam omnium Cometarum prorsus Cœlestem esse iudico, siquidem etiam omnes in ipso Cœlo generantur. Vnde verò hæc materia illis in Ætherea Mundi Regione suppetat, & quomodo illic procreentur, suo loco in Conclusionem & Epilogo totius huius Operis meam sententiam exponam. Interim piè & sobriè Mœstlinum sentire iudico, qui omnipotentia Diuinæ has miraculosas Generationes immediatè ascribit, & in naturæ secretis Cometas reponit. Quemadmodum ipse etiam Regiomontanus sensisse videtur, dum concludit suam Observationem Cometæ Anni 1475, his verbis: Nulla impressio Aërea potest ex naturalibus causis exhalationum flammivorarum, sufficere materiam Cometæ spatio vnus anni (qualis ille erat, quem Iosephus excidium Hierosolymitanum prænunciasse testatur) sed veniunt Cometæ ex occultis causis naturæ, in qua Sententia est Melsala Arabs. Hæc ille: Sed de his nunc hoc loco plura non addam, siquidem in vltimo totius Libri Epilogo (vt dixi) de hoc negotio ex professo (fauente numine) acturus sum.